

www.e-rara.ch

[Opera omnia]

Augustinus, Aurelius

[Basel], [1528-1529]

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: AW 57

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-5484>

Des. Erasmus Roterodamus pio lectori S. D.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DES. ERASMVVS ROTERODAMVVS PIO
LECTORI S. D.



X calce secundi libri retractationum, item ex epistola, quae praefixa est catalogo herefeon ad Quodvultdesum, satis quidem perspicuum est id temporis nec epistolas, nec populares orationes ab Augustino fuisse digestas: nec post id ab eo curatum, uel illud arguit, quod in hoc uolumine, neque temporum, neque personarum, neque materiarum ulla uidetur habita ratio. Certius autem id arguit, quod quaedam admixtae fuerant, quae primo statim gustu deprehendebantur Augustini non esse, quas addita censura notauimus: nonnullae simpliciter confictae, quod genus sunt illae Bonifacii ad Augustinum, Augustini ad Bonifacium. Nullam tamen omnino loco mouimus, praeter unam, & uehementer prolixam, & insigniter illitteratam, ne id quidem facturi nisi eade in Tomis haberetur. Tanta nobis cautio fuit, ne quis quid de nostra queri possit industria. Ad haec inspsae sunt nonnullae quas Augustinus ipse in retractationibus libros appellat. Quanquam interdum subdifficile est epistolam a libro distinguere. Augustinus alicubi sic loquitur, quasi breuitas aut prolixitas tribuat adimatue nomen epistolae uerius, quam orationis genus, aut argumenti ratio, praesertim quum hoc exemplum ab Apostolis uenerit, ut argumenta quamuis seria committerentur epistolis. Siquidem exceptis euangelijs quo nomine complectimur & apostolorum gesta, praeter epistolas nihil scripto prodiderunt, sed eas de rebus haud quam familiaribus, tu quas uellent ab omnibus legi. Alicubi putat epistolam non uideri, quae non praeserat nomen & scribentis, & eius ad quem scribitur. Et sane sunt aliquot quas uere possis epistolas dicere, referentes familiare quiddam, & instar humani colloquij, licet per pauca. Verum hac de re liberum esto suum cuique iudicium. Illud ausim affirmare, non alio in opere magis elucere sanctissimi uiri, pietatem, charitatem, mansuetudinem, humanitatem, ciuilitatem, studium crediti gregis, amorem concordiae, & zelum domus dei. Ut satagit, ut molitur, ut se uertit in omnia, quoties affulsit aliqua spes pertrahendi uel paganum ad Christum, uel haereticum ad ecclesiae communionem. Ut se submittit, ut iuxta Paulum, mutat uocem suam, undique uenans occasionem excitandae propagandaeque pietatis, ubique sentit aliquam bonae mentis scintillam residere. Cui muliercula, cui plebeio, cui aulico, cui pagano, cui haeretico non prompte, mansuete, blandeque respondet? Quam anxia sollicitudine, pro sceleratissimis, nec una morte dignis Circumcellionibus intercedit? Quis maiori studio pro suis amicis interpellauit quam ille pro suis hostibus? Quanto nixu parturit omnes Christo, quam gratulatur respiscens tibus, quam sollicite prospicit periclitantibus, quam sedulo docet errantes, mederi studens omnibus, perdere neminem. Quam misere uritur, ad quoduis exortum offendiculum? Videas uere gallinam euangelicam sollicitam & anxiam, ut sub alas colligat foueatque pullos suos. In nonnullis epistolis agnoscere licebit & illud forense dicendi genus, quod graeci δικαστικὸν appellant, praecipue quum agit aduersus Donati factionem, nec deest argumentorum subtilitati quae illi peculiaris est, δεινωσις. Verum siue docet, siue corripit, siue pugnat cum deploratis hostibus, nusquam tamen non sentias Christianae charitatis natiuam dulcedinem, ut, si tamen congruit haec collatio, mihi uideatur quendam esse comedia referre Mitio nem, qui tum etiam mitis est, quum obiurgat maxime. In hoc uno uelut in speculo contemplari licet episcopum qualem depinxit Paulus, ἀνεπίληπτον, νηφάλιον, σώφρονα, κόσμιον, φιλόξενον, δίδακτικόν, μη πάροινον, μη πλιγκτιώ, μη ἀχρεοκρδῆ, ἀλλ' ἐπιεικῆ ἀμαχορ, ἀφιλάργυρον, μη ἀνθάδην, μη ὀργίλον, φιλάγαθον, ἐγκρατῆ, ὀσίον, δίκαιον, ἀντεχόμενον τῷ κατὰ πλὴν διδασκαλῶν ποισῶ λόγον, δυνατὸν ἐν παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆ ὑγιανοῦσῃ, καὶ τοῖς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, μετὰ πάσης παύσεως. Ad hoc speculum si sese contemplantur episcopi, & qui praecipuam episcoporum functionem occupant theologi, pudebit opinor quosdam sui supercilij, cum inscitia coniuncti, pudebit sentiae cum impuris moribus copulatae. Ex alijs Augustini libris perspicere licebit, qualis fuerit adhuc infans in Christo, ex alijs, qualis fuerit iuuenis, qualis senex, ex hoc uno uolumine semel totum Augustinum cognosces. Vberiores fructus nobis dedisset illud ingenium, si in Italia, Galliaue uel nasci uel uiuere contigisset. Rudis erat Africa, uoluptatum auida, studiorum inimica, curiosarum rerum appetens. Vnde frequenter exercent illum quaestionibus subfriolis, nec multum facientibus ad pietatem: & ad suae gentis affectus saepe cogitur attemperare calamum. Verum tali excolendo senticeto, tali opus erat agricola. Quanquam digniora lectu scripturus erat, si uel ad Romanorum aut Graecorum iudicia se composuisset, uel minus indulgisset simplicium imperitiae. Sed Christiana charitas prius habet prodesse quam plurimis, quam probari praecipuis, fraternae saluis quam suae gloriae sitientior. Quosdam autem, praecipue mulierculas pia quaedam habebat ambitio, pulchrum esse ducentes, quaecumque scriptum impetrasse ab episcopo. Ita factum est, ut dum uir pius omnium uotis obsequitur, minus alicubi satis faciat lectori fastidioso. Vix quenuquam crediturum opinor quantum mihi sudoris exhaustum sit in tollendis medijs, ac reponenda sermonis confusissima distinctione. Sed ea demum perfecta est elemosyna, quae confertur nescienti, generosior etiam quae confertur auersanti. Haec Christo foeneramus, non hominibus, quorum uix credibilem ingratitude in nimium multis experimur. Quanquam horum malitia nequaquam nos a benefaciendi studio deterrebit unquam. Cum optime fidei debitore nobis res est. Ne quid omittam, ab huius uoluminis calce rescuimus loquacissimam Coronidem sub titulis Cyrilli, subito latine loquentis, & Augustini Graeco male latine scribentis, impudentissime confictam. Cuius tamen legenda si quem forte tenet libido, reperiet inter ea quae diui Hieronymi Tomis adiuncta sunt. Illic expleat sese affatim, qui talibus capitur delicijs. Haec cordate lector, fac euoluas attente, non ponitebit insumpti temporis. Bene Vale. Datum Basileae An. 1527 mense octobri.

Nomenclaturam eorum ad quos scripsit Augustinus, reperies ad calcem huius uoluminis.

Quodvultdes epistola...

Bonifacius

Circumcelliones gregum

Donatus gregum

Mitio

Italia

Africa

Quoniam...

Roma

Cyrillus

Hieronymus